

tale resurgeret timebatur, et afferret centuplum resurgendo: quod postea per vendentes
est mortuum, memoriam dedecoris centies duplicantes: quoniam nil vituperabilius,
nil apud Deum et homines damnosum magis, quam delictum eius qui semet ipsum
occidit. Anno millesimo ducentesimo secundo.

Tacere tamen nolo magnalia que inter cetera vidi, guerra durante. Nam cum predictum castrum esset penitus inexpugnabile, et eius occasus per obsedionem esse non posset; recordantes florentini quem fecerant predecessores eorum apud Montem Crucis insultum, castrum illud proposuerunt capere posse per raptum. Sicque a quibusdam qui ex pacto illud exiverant ad mandata conversis, sumpto consilio, ordinati predecessores qui preibant per quemdam timorosum locum, muros securiter ascenderunt, turbam venientem retro, prope credentes adesse. Excitatis igitur castellanis, cum vidissent illos stantes super muros, et aspicerent regionem de foris vacuam inimicis, insurrexerunt adversus eos, et cum fuisset bellum mirabile super muros, sexaginta bellantibus cum quinque milibus, optinuerunt plures: licet ex ipsis plures fuissent mortui et graviter vulnerati: novissime mortui sunt et ipsi, preter decem qui de muris fortuitu cadentes, recuperantes vitam quasi iam perditam, evaserunt: forte quod ob aliqua precedentia sua bona opera vel parentum animabus, ne simul cum corporibus deperirent, voluit omnipotens misereri. O quam mira pietas! o quam tristis aspectus mulierum exeuntium extra portas, deferentium pueros super sinum, credentium processum dolorosum, et maritorum turpissimum finem, clamantium ve, ve, et de regressu penitus desperantium! Item florentinorum venientium in succursum astantium de foris prope muros, videntium necem fratrum, et quasi proprii sanguinis aspersiones, et nequentium illis dare suffragium. His actis, recesserunt florentini, reportantes cum luctu merorem: castellanis remanentibus cum letitia, licet elapso brevi tempore sit in eius contrarium ipsa conversa.

Elapsis annorum brevibus circulis cum senenses plurimum exultarent, quia superaverant castrum quod dicitur Monsaleinum, consulibus et militibus florentinis ibidem tunc temporis existentibus in auxilium; cum eisdem incepérunt regionibus utique dominari, comitatum florentinum' ingenio turbando, et reddendo mala pro bonis, ac Tornanum castrum per singulares personas violenter permittendo teneri, fide fractis et pactis, futurum exitum ignorantēs.

Igitur florentini otium invenire credentes, irati sunt fortius. Timentes tamen, ne diceretur ipsos loco iuris habere potentiam, incipere dubitabant, nec desistere poterant cum honore. Verebantur fidem civitatis senensis viribus, cum esset plena populo, gente probissima ac in cunctis amena et in pari iure posset omnibus respondere. Interim cum venissent in castro dicto Montepulciano, degentes, pro rrexerunt castrum velle subcere florentinis: affirmantes aliquibus non teneri, nisi iure diocesano episcopo aretino. Florentini vero super hiis deliberatione habita competenti, illud, nullis pactis appositis, in custodiam receperunt, credentes quod otium generaret illa commissio. Super quibus cum senenses enormiter irascerentur, incipit eisdem utendi contrariis accrescere appetitus, et castrum Tornanum aperte tenentes, super aliis minabantur inferre gravamina. Florentini vero credentes vincere sensu dementiam, et humilitate superbiam, propositum eorumdem significaverunt senensibus per legatos, salutatione premissa, inter cetera dicentes:

« Loquimur coram vobis qui ob precedentia obsequia nobis tenemini ad grata merita respondere, ac nobis super iure nostro dare favorem; et si defecerimus in aliquo, nostrum suplire defectum, ut nos benigne audientes, velitis quietem respicere regionis, ac bonum quod homo consequitur ex eadem: considerantes, quod non dicuntur vere